

Q. K. 405, 26.

X 1862417



THEOSOPHI EXIMII  
EPISTOLA

AD

ANASTASIVM  
PHILARETVM  
COSMOPOLITAM,

DE

SAPIENTISSIMA FRA-  
ternitate R. C.

*Feliciter proficit qui Deo Praeceptore  
utitur.*



FRANCOFVRTI,  
Apud Iohann. Hofmann, Anno 1619.



Handwritten text, likely a name or address, appearing as a faint impression on the paper.

Handwritten text, possibly a date or a specific reference number.


Handwritten text, possibly a name or address, appearing as a faint impression on the paper.

Handwritten text, possibly a name or address, appearing as a faint impression on the paper.

Handwritten text, possibly a name or address, appearing as a faint impression on the paper.

Handwritten text, possibly a name or address, appearing as a faint impression on the paper.

Handwritten text, possibly a name or address, appearing as a faint impression on the paper.



Handwritten text, possibly a name or address, appearing as a faint impression on the paper.

Handwritten text, possibly a name or address, appearing as a faint impression on the paper.





GRATIAM ET PA-  
CEM IN CHRISTO IESU,  
AMEN.



Iteras tuas, Vir clarissime & doctissime, vna cū annexis pagellis ex Bibliotheca tua, multis aliàs intiquitatibus refertâ & ornatâ, an lucem editis, accepi, ex quibus tuum erga me cultum & affectum cognoui summum, ita vt tibi pro hisce omnibus gratias agam quam maximas.

Quod verò ad quæstionem tuam attinet, de Fraternitate R.C. & meū de istis viris iudicium expetis, præsertim si quid certi mihi de ipsorum conditione & habitatione constaret: facilè pro discretionem tua arbitrari poteris, rē sanè magni momēti esse, quæ à me hac in parte efflagitatur. Etsi enim (affirmo autem nihil) quicquam certi de istis viris haberem: saluâ tamen consciētiâ & nullo pacto, ne minimum quidem tibi vel al-

A 2 teri

teri, in specie de hac re communicare licitum  
esset. Interim tamen satis mirari non possum,  
quoniam impulsu & spiritu agitentur illi, quan-  
tumuis magni nominis Theologi, qui hosce  
viros, partim crassissimæ hæreseos in simulare,  
partim etiam Diabolos incarnatos (sicuti ex a-  
liorum relatu habeo) nuncupare, imò publicè  
proclamare, haud vereatur. Hi profectò scripta  
ipsorum publica, aut non legerunt, aut non re-  
ctè considerarunt. In illis enim ita se declararunt  
fratres, vt (meo quidem iudicio) ne suspicioni  
quidē, multò minus rei ipsi hac in parte locum  
dederint.

Nam primò fatentur in Fama sua, se ex toto  
amplecti Religionem, nuper in Imperio Roma-  
no reformatam, & à quibusdam Regnis & ciui-  
tatibus defensam. Vnde profectò satis liquidè  
& manifestò apparet, ipsos aliam Religionem  
non agnoscere, nisi illam, quæ in Scholis & Ec-  
clesijs nostris hodiè exercetur, atque in verbo  
Dei, Augustana Cōfessione, & Catechismo Lu-  
theri, &c. comprehensa est. Et quanquam hoc  
nimis latè atque indefinitè dictum videatur, ita  
vt etiam heretici omnes suo sensu se tali confes-  
sione generali palliare possint; non tamen pro-  
pterea ipsos damnare, & hanc vel illam hæresin,

ex

ex sola suspitione, ipsis affricare, merito possu-  
mus aut debemus.

Deinde recensent hæc Epitaphia vel Eulogia  
Eratrum suorum defunctorum: I. Iesus mihi o-  
mnia. II. Granum pectori Iesu insitum. III. Ex  
Deo nascimur, in Iesu morimur, per Spiritum  
sanctum reuiuiscimus. Quæ verba si rectè con-  
siderentur, prænominatas non solum maculas,  
satis aliàs graues & calumniosas, à FRC. remo-  
uent, sed omnem etiam planè aliam hæresin.

Nam si illis Iesus est omnia, necessario & ir-  
refragabiliter sequetur, ipsos neque Iudæos, ne-  
que Mahumetistas, neque Arrianos, neque Pa-  
pistas, neq; Calvinistas, neq; Anabaptistas, &c.  
esse. Hi enim omnes nullo iure hoc de se affir-  
mare, sed potius ex vnico isto dicto refutari, &  
iplos quam lōgissimè à Christo abesse, demon-  
strari poterit.

Alterum dictum, videlicet Granum pectori  
Iesu insitū, in Elucidario maiori Radtichs Bro-  
toffers, explicatum vidi, ita vt in eo, tanquam in  
speculo, totum mysterium sacrae synaxeos ad-  
umbratum sit.

Vltimum verò nimirum ex Deo nascimur,  
&c. adeo perspicuū & pretiosum est, vt nullam  
planè hæresin tub te delitescere patiatur.

A 3 Huc

Huc accedit & illud, quod FRC. filios doctrinae, sedulo hortetur ad pietatem, ita vt in libro, cuius titulus est Echo, hasce regulas ipsis praescribant: I. (inquiunt) debent timere Deum. II. Colere disciplinam. III. Non implicare se negotijs & delicijs secularibus. IV. Egredi ex castris turpitudinis, & viam virtutis ingredi. V. Temperare gulæ. VI. Colere castitatem. VII. Submittere se in humilitatem. VIII. Non sitire & appetere opes. IX. Mundanam sapientiam floccipendere. X. Cœlestem sapientiam sedulo perquirere & indagare. XI. iussis magistri obtemperare & obedire. XII. Nullum tempus laboris vacuum sibi dare. XIII. Non statim in principio scrutari altiora. XIV. Non sophisticè studium sapientiae contemnere, sed sincero animo id ipsum amplecti. XV. Erga præceptorem suum se gratum, beneuolum & munificum præstare. XVI. Misericordiam pauperibus tribuere & impertiri.

Hæ Regulæ pietatis, vno ore reclamant omnibus illis, qui tam peruersa, imò graua & ignominiosa de FRC. iudicia spargunt.

Sed dicat quispiam, hoc maximè Theologos nostros offendere, quod prædicti fratres, glorientur de statu hominis integro recuperando in  
hac

hac vita, qualis ante lapsum fuerit. Sic enim in  
Confessione sua Germanica scribunt:

Müssen demnach dieses allhie wol merken / vnd je-  
derman zuverstehen geben / daß Gott gewiß vnd ey-  
genlich beschlossen / der Welt vor ihrem Untergang/  
welcher bald hernach erfolgen wird / noch eben ein solche  
Wahrheit / Treue / Leben vnd Herrlichkeit widerfahren  
zulassen vñ zugeben / wie der erste Mensch / Adam nem-  
lich / im Paradies verlohren vnd verscherbet hat / &c.

Verum in hoc puncto facile etiam FRC defen-  
di & excusari possunt, siquidem id ipsum non  
*ἀπλῶς, sed κατ' ἐξοχὴν* intelligendum est. Et sane qui Pri-  
uilegium habet super I. Infirmi-  
tatem. II. Insci-  
tiam. III. Inopiam, ad nutum suum cum ipsis

agere & procedere, sicuti fratres sibi tribuunt;  
ille profecto secundum Deum & vitam glorio-  
sam in altero seculo, nihil amplius desiderare in  
hoc mundo merito potest. His paucis, vir clarif-  
sime, doctissime & perquam libenter, vt petis, in  
album amicorum meorum amice recepte, iam  
quiesce, & non dubito, si tria ista argumenta à  
me proposita, in posterum male & sinistrè de hisce  
viris sentientibus, pro dignitate & ingenij tui a-  
cumine, quo præditus es, opposueris, quin facile  
os eorū obstrues, & innocentiam innocentium,  
quemadmodū hominem pium, ingenuum &  
sapien-

AK Th 406

sapientiae verae indagatorem decet, à lingua vi-  
rulenta vindicaturus sis.

Vale & me, vt facis ama, ego te redamare nun-  
quam desinam. Dab. ex Musæo meo, III. Sept.  
Anno MDCXVII.

Tuus vt suus

C. R. E.



MC







Q.K. 405, 26.

X 186 24 17

II h  
406

THEOSOPHI EXIMII  
EPISTOLA

AD

ANASTASIVM  
PHILARETVM

COSMOPOLITAM,

DE

SAPIENTISSIMA FRA-  
ternitate R. C.

*Feliciter proficit qui Deo Praeceptore  
utitur.*



FRANCOFVRTI,  
Apud Iohann. Hofmann, Anno 1619.

